DISPUTATIO
INAUGURALIS MEDICA
De
SCIRRHO LIENIS,
Quam
Annuente JESU *Sospitatore*,
Decreto & Authoritate
Nobilißimi, nec non Gratiosissimi Ordinis
Asclepiadei in Illustri
SALANA,
SUB PRÆSIDIO
VIRI
Nobilißimi, Amplißimi, Excellentißimi, atq; Experientißimi
DN. GOTHOFREDI MOEBII,
Med: Doct: & Prof: Publ: longè celeberrimi, Archiatri Electoralis Brandeburgici, & Administratoris Archiepisc: Magdeburg. eminentissimi,
Dn. Præceptoris, Promotoris ac Patroni sui magni, omni honoris & observantiæ cultu æternùm suspiciendi,
PRO
LICENTIA
Supremos in arte Medicâ Honores, dignitates & Privilegia DOCTORALIA solenniter & legitimè impetrandi,
Publicæ Philiatrorum censuræ ventilandam proponit
FRIDERICUS GERBERUS, Zittaviâ-Lusatus.
ad d. Octobr.
IN AUDITORIO MAJORI
horis ante & pomeridianis.

JENÆ, Charactere Sengenwaldiano AN. MDC LV.

D. O. M. A.

SInistri hypochondrii viſcus, lien, quanquã à naturâ fruſtra fabricatum *Eraſiſtratus* cum *Rufo Epheſio* cenſuit, & eam ob cauſam tantummodò, ut jecori in dextrâ parte collocato proportione reſponderet; tamen veneranda antiqvitas, & oculatiſſima anatomia illi eundem ferè cum epate attribuit uſum, cujus rei teſtes locupletiſſimi eſſe poſſunt aurei Anatomicorum libri.

Viſcus hoc, quò majorem in expurgando, & elaborando ſanguine præſtat uſum; eò contumacioribus morborum ſubjicitur inſultibus, quos inter non infimum obtinet locum SCIRRHUS, triſtis ille & miſerandus affectus, cujus Naturam & Curationem breviter comprehenſam, Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ juſſu, & authoritate, locô inauguralis diſcursûs publicæ philiatrorum cenſuræ committemus. DEUS ter optimus maximus noſtris adſit conatibus, eosq; in Nominis ſui gloriam proximiq; ſalutem clementer dirigat.

NOMINIS autem ſui originem trahit

I. ab EFFECTU, quem Græcum vocabulum exprimit σκίῤῥος ſ. σκιῤῥὸς ἀπὸ τοῦ σκιῤῥόειν indurare, quod fit, quando humor craſſus, & glutinoſus vel per ſe, vel cum alio mixtus in partem aliquam influit, in illâ retinetur & recedere neſcit, tunc pro ratione cauſæ vel exceſſu, vel defectu caloris induratur, & exinde tumor evadit, qui paulatim in lapideam qs. duritiem concreſcit adeò, ut ſuo prorſus privetur ſenſu.

quod *Gal: com: 4. in lib: de victûs ratione in acutis* atteſtatur, dum non tantùm *ἀντίτυπον renitentem*; ſed etiam *ἀνώδυνον ὄγκον*, *doloris expertem tumorem* vocat. 2. σκίῤῥωσις dicitur, quæ ſecundum *Gal: 2. ad Glauc: & 5. de ſimpl. med. 6. à ſcirrho* differt ratione diverſitatis materiæ. Illam, quando lien fit durus ex quocunq; humore, à quo abſumptæ ſunt partes ſubtiliores & remanſerunt terreſtres; hunc ex humoribus craſſis, pituitoſis & melancholicis naſci ſtatuit. *Plinio σκίῤῥωμα.*

II. A SIMILITUDINE cum re externâ, quam *Hieron: Mercurialis* inſtituit, ſcirrhoſum tumorem nuncupando ὄσχεον, quod frequentiùs pro ſcroto ſumitur, quâ ſignificatione utitur *Ariſtot: de gener: animal: lib: 1. c. 12.*

III. A LOCO NATALI, ſ. parte affectâ, ἀπὸ τοῦ σπλη-νὸς σπληνικοὶ dicuntur illi, qui hoc malo tentantur. Ab *Arabibus*, præprimis *Avicennâ* ſephiros ſalutatur.

In Latinitatis forum receptus nominatur *ſcirrhus, tumor durus ſ. durities. Celſo, Marcello & aliis* lienoſi ſ. ſplenetici hoc nomine appellati exiſtunt, qui hâc ægritudine laborant. Licet quidem hæc denominatio à nonnullis *generica* cenſeatur; tamen veterum opinionem *ſpecificam* retinuêre *Hippocr: & Galenus lib: 9. de med. κατὰ τόπους*, eosq; lienoſos, quibus lien à copiâ humorum melancholicorum, viſcidorum, craſſorumq; infarctus induruit, vocârunt.

Vernacula noſtra ſimplici voce exprimere amat, die Härte/ Härtigkeit/ oder harte Geſchwulſt des Miltzes.

Quanquam autem tumores varii & multiplices ſint, ita ut plus quàm ducenti à *Johan. Philippo Ingraſſiâ* numerentur, quorum *Gal: lib: de tumoribus 60. collegit*; maximâ tamen ex parte duros, qui ſub uno nomine ſcirrhi comprehenduntur, & quidem primò eorum DIFFERENTIAM, ſecundò LATAM &, deniq; STRICTAM ſignificationem pro rei neceſſitate intuebimur. *Differentia tumoris duri* ſeu ſcirrhi gemina hîc occurrit: Una quæ ſcirrhum *verum* & *legitimum*, altera; quæ *non verum* ſeu *illegitimum* ſalutat, quæ differentia non ſumitur, ut *Fallopius* docet, ex diverſitate materiæ & cauſæ continentis; ſed ex materiæ diverſis accidentibus, & proprietatibus.

Verus

Aſtrantia

Verus & *legitimus* ſcirrhus eſt tumor durus, & exiguo ſenſu præditus, adeoq; ferè indolens ab humore melancholicô genitus; *Non verus* autem ſeu *illegitimus* eſt tumor durus, inſenſibilis, indolens ex humore melancholicô nimiâ reſolutione, aut refrigeratione concretô. Hic ſub ſe alias duas comprehendit ſpecies: quarum *prima* eſt ſcirrhi *cancroſi* ex melancholici humoris corruptione & aduſtione nati. *Secunda phlegmonodis, eryſipelatodis, aut Oedematodis* ab humore melancholico alieni humoris admixtione infectô orti, de quibus ſcribit *Ambroſius Paræus lib: 6. de tumoribus contra nat: c. 24.* & *Joannes Tagaultius lib: 1. inſtit: Chirurg. c. 14.* Aliis alius arridet diſtinguendi modus, quos omnes converrere, nec temporis intercapedo, nec chartarum anguſtia patitur. Antequam autem ſchirri veri tractationem aggreſſuri ſimus, latam ejus ſignificationem intactam relinquere nolumus.

Conſideratur ea, quatenus in pleriſque partibus, ubi nullam peculiarem habet appellationem, accipitur LATE pro omni ſcirrho, ſive benigno, ſive maligno, quo non tantùm *externæ*; ſed & *internæ* corporis partes afficiuntur. *Externarum* v. g. ſcirrhus LABIORUM, *Riolan: in encheirid: anatom: lib: 4. c 5.* COLLI & GLANDULARUM, *Galen: 14. meth: med. c: 11. Sennert: prax. lib: 5. part: 1. c. 33.* MAMMARUM, quem feliciter curâſſe fatetur *Fabricius Hildanus cent: 2. obſerv: 80. Joannes Varandæus lib: 3. c. 6.* *Internarum* PULMONUM *Riolan: in encheirid: anat: lib: 3. c. 6.* DIAPHRAGMATIS, *Riolan: ibidem c. 5. Fernelius.* HEPATIS, *Gal: 2. ad Glauc. c. 5. & 14. meth. c. 6. Maſſarias lib: 3. c: 14* LIENIS, *Hippoc: de locis in homine. Gal: 2. de nat: facult: c. 9.* PANCREATIS, *Highmorus in corp: human: disquiſit: anatom: lib: 1. part: 2. c. 8. Sennert: lib: 3. part: 1. c. 7. Rondel: meth. cur: morb: lib: 3. c. 35.* MESENTERII. *Sennert: lib: 3. part: 3. cap: 5. Ambroſius Paræus lib: 23. c. 36. Rondel. meth: cur: morb: lib: 3. cap. 35. Fernel. pathol: lib: 6. c. 8. Guilielmus Fabricius cent: 1. obſ. 70. Barthol. in anatom. reformatâ lib: 1. c. 12.* UTERI, *Joannes Varandæus de morbis mulierum libr: 1. c. 9. Paulus libr: 3. c. 68.* INTESTINI COLI, *Riolan. in encheirid. anat: l. 2. c. 17.* ANI, *Idem lib: 2. c. 33.* & CARNIS ARTUUM, *Idem lib. 5. c. 1.* & ubicunq; glandulæ

 exi-

existunt, interdum in quibusdam locis adipis portio indurata tumorem scirrhosum efficit.

His recensitis, partis nostræ affectæ tumorem, STRICTE lienis scirrhum dictum, associandum haud immeritò ducimus, quem *Galenus libr: 14 meth: med: c. 6.* & alibi describit. Hunc nos impræsentiarum ad enucleandum in manus sumemus, & fractâ ὀνοματολογίας cortice, nucleum πραγματώδης attingemus, & ut ad pleniorem veri & legitimi scirrhi lienis cognitionem deveniamus, primo loco ejus definitionem proponemus.

DEFINITUR tumor lienis p. n. durus sine dolore, & sensu aut certè cum exiguô, ex humore crassô, viscidô, lentô & frigidô ortus.

GENUS, quod FORMÆ locum obtinet, constituimus *tumorem*, & quidem durum, ὄγκον σκληρὸν, quo nomine *Galenus* l. c. appellat. Hic licèt meritò in numerum tumorum referri possit; longè tamen differt à cæteris *ratione causæ*, quam *Trallianus lib: 8. c. 13.* accusat primò *inflammationem*, quæ fit, quando crassus & melancholicus sanguis in nimiâ quantitate à liene attrahitur, ibi congregatus non statim edomari, & impurus per loca consueta deponi potest. Excitatur exinde fermentatio & ebullitio qs. humorum, quibus consistentibus pars in tumorem attollitur, & pro materiæ affluentis copiâ *magnus evadit, contra naturam durus, tangentiq; resistens:* Deinde *intemperiem, quæ in eo apparet, cũ copiâ substantiæ lienis scirrhum excitante;* deniq; *humorem lieni infixum, & flatuosum spiritum, qui utriq; simul mixti præter modum lienem augent, & à naturali magnitudine recedere cogunt.* His subsignat *Hofmannus*, quando dicit: ubi flatulenta materia subest, flatuosi tumores fiunt, ut sunt ἐμφυσήματα & inflationes partium porosarum, aut manifestâ cavitate præditarum. *Galenus 13. meth: cum Aretæo in 1. de diuturn. pass:* asserit, usq; adeò lienem interdum crassescere, ut usq; ad jecur pertingat, & veluti Zona quædam cingat. Propterea non immeritò Plautinus ille Leno *in Plauti Curculione act. 2.* conqueritur;

Nunc

Nunc jam quasi zonâ liene cinctus ambulo,
Geminos in ventre habere videor filios.
Nil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.

Ratione essentiæ suæ vocatur morbus partis dissimilaris, qui consistit in magnitudine auctâ. *Præternaturam* dicitur tumor ad differentiam eorum, qui secundum omnes dimensiones augmentum sumunt ob humoris in omnem partis substantiam diffusionem, quod accidit ab humore alimentari, ut videre licet in obesis, & partium aliquarum accretione. Sine dolore & sensu, aut certè cum exiguo: Ratio est, quia nulli nervi ad ejus parenchyma penetrant; sed solùm in membranâ exteriore subsistunt, consentientibus eâ in re *Vesalio, Baubino, Spigelio, Bartholino & aliis:* His *soluta unitas* nonnihil affinis videtur, quando cū auctâ magnitudine locus affectus infarctus intumescit, partesq; sanguifluæ cum fibris suam naturam exuere, & alienam lapideam qs. induere adiguntur.

Jactâ nunc aleâ ad ipsam

SUBIECTI enodationem nos accingimus. Illud secundum veterum & recentiorum sententiam lienem, ut ἀντίζυγον s. sinistrum epar cùm suis vasis & meatibus, viscus hoc constituentibus, assignamus, cujus aliqua pars nonnunquam quoad longitudinem, ut teres qs. reddatur; nonnunquam quoad latitudinem; sæpissimè autem tota substantia adficitur. *Sennert. lib: 3. part. 4. c. 6.*

Hisce prælibatis accedimus jam ad causas, quibus rectè investigatis Medicus refractarios & desperatissimos morborum insultûs debellare, ægrumq; pristinæ sanitatis libertati restituere potest. Sin minus, operam & oleum in quâvis medelarum exhibitione dubio procul perdet.

Has ad eruendas nostrûm erit nullum non movere lapidem, locoq; frontispicii seligere.

CAUSAM IMMEDIATAM seu PROXIMAM, quæ explicatu est difficilis, cùm authores longè dissentire videantur. *Galenus lib: 14. meth: med. c. 6.* humorem melancholicum causam proximam agnoscit, cui

assen-

coctione vacillet, crassi humores in parenchymatis poris subsistunt, tractuq; temporis indurantur, & hunc malum ovum excludunt.

Suum addit ἐπιβάλλων μέρ@. 1. *Hepar*, quando sanguis per arterias splenicas à cœliacâ ortas ad lienem defertur, in ejus substantiâ pro ratione officii elaboratus, per ramum splenicum epati, sanguinis transcolatorio, *Pecqueto in nov: experiment. anat:* dicto, communicatur; cùm a. hoc viscere vel obstructione, vel intemperie, alisq; affectibus laborante, humor regurgitet; denuò lienem ingreditur, & parti sanguinis per arterias splenicas attractæ immiscetur, cum eâ accumulatur, viasq; ad excernendum præcludit, ita ut lien intumescat, & duritiei imperium pati cogatur; 2. *Pancreas* verò, quando humores excrementitii per venam epiploicam pancreati oblati, ejus ductûs interventu deponi non possunt, & inde obstructio oritur, humores in pancreate affatim accumulantur, & lien duritiei periculo exponitur, quod *Bauhinus* cum multis clarissimis Medicis affirmavit. Pari vultu, quem aliàs lien torvum fuit expertus, iterum intueri solet suum Vicarium pancreas, ex mente *Highmori in corporis humani disquisiti anat. libr. 1. part. 2. cap. 8. Scirrhus*, inquit, *utrisq; est communis hunc & illud affligit, imo liene affecto, vix aut nunquam immune evasit pancreas*, hoc ut clariùs appareat, paulò post l. c. vivis depingit coloribus. Imò ipse *ventriculus*, quando ejus facultas χυλοποιητικὴ, vel ab intemperie quâdam, vel aliorum symptomatum genere labefactatur, hoc quicquid est lienis vitii, vel excitat, vel adauget: dum enim is cibum & potum acceptum non rectè coquit, chylus crudior terrestrioribus recrementis scatens ad cor defertur, ex quo deinde sanguis crudior elaboratur, ad lienem defertur, & inde eò facilius obstructiones, scirrhum antecedentes caussatur.

CAUSSÆ ANTECEDENTES sunt SEX RES NON NATURALES, inter quas agmen ducit AER. Si frigidus & siccus, vel frigidus, uliginosus & crassus sit, ad generationem humoris melancholici non parùm con-

Karmner

confert. VENTI è ſtagnis & locis paluſtribus ſpirantes peculiari modo lieni ſunt infeſti. REGIONES maritimæ & ſtagnis abundantes, ut imprimis ſeptentrionales, endemicum habent contagium ad lienis morbos producendos: ubi, teſte experientiâ omnes ferè ſunt lienoſi. *Mercurialis* cœli influxum quoq; accuſat: *eſt etiam*, ait, *proprium & peſtiferum cœlum, quod profert hujusmodi effectus, ut referunt de populis in ALCARIA apud Rhodum, qui canini vocantur, & qui propriâ quâdam ejus cœli peſte lienoſi ſunt ſemper.*

Aſtrologi quoq; Saturni cum Jove conjunctionem accuſant, *Abdias Trew in nucleo Aſtrologiæ correctæ c. 9.*

LOCA aquoſa, paluſtria, ædesq; malignis exhalationibus non carentes. *Querc: in diætet. polyhiſtor: sect: 2. c. 3. Hipp. in lib: de Aëre, aquis & locis* notant.

ANNI TEMPORA, quorum AUTUMNUS humorum melancholicorum largus promus cenſetur, corporaq; ad hunc effectum diſponere poteſt, de quo *Hipp: 3. aph. 22.* VER, licet ſaluberrimum judicatur, tamen ſi vitioſos humores *hyeme & autumno* collectos invenit, movet & detegit, cujus rei exemplum refert *Antonius Valetius* in *Hollerio de morb: intern: exercit: 40.* de viro quodam, cui ter, aut quater in anno, præcipuè Vere & autumno ineuntibus, lien intumeſcebat.

VICTUS ratio, niſi ea ritè habeatur, non parvos in generando humore melancholico committit errores, inprimis CIBI craſſi & glutinoſi. Ex ANIMALIUM TERRESTRIUM ordine ſunt carnes caprinæ, porcinæ, bovinæ, leporinæ, majisq; hircinæ & taurinæ, de quibus ſpeciatim, cum ſint alioquin frequenti uſu, dicit *Galenus 3. de alim: facult: 2. & lib: 3. de locis affectis c. 6.* inprimis autem aſinorum, Camelorum, vulpium, canum, maximè aprorum. Hæc tamen omnes ſunt deteriores, ſi ſint nimis ſalitæ, & fumo induratæ.

LACTIS omne genus, & quæ ex eo parantur, ut caſeus, præſertim vetus, ubi forte fortuna in corpore fuerit ſuper calefactus, vel viſcera malè diſpoſita offendat, facilè hujuscemodi parit humoris proventum. Prætereà limaces, ſi fre-

quens sit eorum usus, atque omnes terrestrium carnes sale conditæ.

Ex AQUATILIUM Pisces viscidi, ut thunni, balenæ, vituli marini, delphini, canis atq; cetaceorum omnium carnes.

Ex OLERIBUS brassica, quæ à sanguinis melancholici generatione non est aliena. FRUCTUS horarii intempestivè & in copiâ assumpti; item inter LEGUMINA lentes, fabæ, pisa; & tandem panis furfuraceus, non ritè fermentatus, vel è vitiato semine factus ansam ad hunc affectum dare queunt. De quibus fusiùs *Galenus* l.c.

Insuper retorrida, assa & frixa vehementer exsiccata salita, ut laganum; acida & acria, ut sunt allia, cepæ, piper, sinapi & omnia alia, quæ sanguinem adurunt; item placentæ, dulciaria, imò quævis dulcia, si affatim, & sæpiùs ingerantur, non carebunt omni culpâ; de quibus *Joannes Tagaultius lib: 1. instit: chirurg: c. 14.*

POTUS. VINA crassa, dulcia, austera, potentia, nigra aptissima sunt, ut ex ipsis melãcholicus humor fiat: præsertim, si quis abundè ipsa ingerens oblatâ occasione in multo calore corpus contineat, maximè si sint rubea, de quib9 *fusiùs Mercurialis, Sennertus & Tagaultius l.c.* CEREVISIÆ non defecatæ & ex crassis & palustribus aquis coctæ. E nive vel glacie resolutas bibentes AQUAS, magnos percipere lienes, *Hippocr: lib: de aëre, aquis & locis* docuit. Simile obtinent vitium aliæ aquæ nimis frigidæ, item limosæ, palustres & spiritu lapidescente, seu salibus sylvestribus, ut nitro, alumine, vitriolo & similibus impraegnatæ.

SOMNUS *Bernardinus*, & statim ab assumpto alimento institutus; item VIGILIÆ *Epaminondea* præscriptã mediocritatis, naturæq; legem excedentes convenientem corporis & temperiei symmetriam destruunt, viresq; residuas majori humorum peccantium prosternunt cumulô.

MOTUS & cursus vehementes, de quibus *Aëtius lib: 10. c. 13.* loquitur, appensiones ad scalas, quæ apud vulgum in consuetudinem abiêrunt, adeò ut lineosi sibi persuadeant, hoc remedio tumorẽ cadere & minui, *Massarias l.c.* malum augent.

ANI-

Marrub. c.

ANIMI PATHEMATA, inter quæ curæ, iræ, mæstitiæq; perturbationes, item solicitudines in hoc affectu excludendo suâ abundant noxâ.

RETENTIO excernendorum, seminis, menstrui, hæmorrhoidum insigni nocendi vi pollet.

DIFFERENTIÆ tùm ratione GENERIS, quâ alius scirrhus est *incipiens*, cùm tumor quidem durus, verùm non sine sensu; alius *confirmatus*, cùm parenchyma lienis adeò est induratum, ut reniti & expers sensûs appareat: tum ratione SUBJECTI, quâ lien secundum substantiam, vel vasa ejus afficitur, quorum mentionem facit *Fabricius Hildanus in suis obs: chirurg: cent: 2. obs. 45.* ubi in lienosâ quâdam, dissectô liene, venas cum arteriis mediocris pollicis magnitudinem excedentes reperiit.

SIGNA sunt vel DIAGNOSTICA, vel PROGNOSTICA.

DIAGNOSTICA quod attinet, ea non sunt levipendenda, sed accuratiori studio investiganda, quibus cognitis patebit, an sit *incipiens*, vel *inveteratus* morbus; & quâ ratione ab aliis sit distinguendus. Potioris itaq; ordinis ergò ea distinguemus,

RATIONE GENERIS, h. e. tumoris, qui non solùm *tactu*, sed etiam *visu* cognosci potest, nam in sinistro hypochondrio sub costis nothis est tumor durus, valenter renitens. *Tagaultius cum Guidone lib: 1. Chirurg: instit: c: 14.* sine ullo calore, & sine ullâ coloris mutatione id fieri dicunt; *Galenus* hæc habet: *si quis est tumor internus, qui clarissimis signis cognosci possit, est lienis scirrhus.*

Quoniam tumor flatuosus admodum similis tumori humorali adeò, ut in eo discernendo quis interdum decipiatur; ponemus signa, quibus unus ab altero dignosci possit. Durities à flatu proveniens non est continua, neq; adeò magna & oblonga, qualis est, quæ secundum *Hollerium lib: 1. de morbis intern: c. 40.* præ se fert idæam partis obsessæ, existentis ἀνορρόπου καὶ καταρρόπου lienis, atq; tum rotundi tumoris; sed

est sine gravitate, cum solâ tensione, compressa cedit, murmur & sonum edit: Humoralis autem habet gravitatem conjunctam, magis est continua, atq; nullo modo cedit, neq; digitis, neq; manibus. Sic & scirrhus illegitimus à legitimo discernitur: in legitimo nullus adest dolor, nisi gravativus, & tensivus, & quotiescunque lien tangitur & premitur nullus percipitur sensus; licet autem dicant ægri inscirrho legitimo se sentire tactum fortem, decipiuntur tamen, & est ille sensus non quo ad lienem, sed quoad circumpositos & superpositos musculos; in illegitimo adest dolor aliquis, quamvis obscurus, & animi sensus.

Tumorem lienis iis insidiari solere credit *Levinus Lemnius*, quibus crebrò incisa vena, & sanguis profunditur, & quibus vagæ & incertæ febres, maximeq; pestilentes fuêre. Solet enim is plus habere spacii, & minus periculorum, quàm si jecinori inhæresceret.

RATIONE SUBJECTI, quod est lien, cujus formam & figuram in scirrho exporrectam statuit *Cælius Aurelianus*, ita ut videatur pectus claudere. Nam si tangamus lienosos, videbimus in ipsis lienem esse cum thorace & pectore. Haud raro pertingit lien ad umbilicum, adeò ut Medici sæpè decipiantur arbitrantes non esse lienem, sed alium infimæ cavitatis ventris morbum. Ea propter supra allegatus *Aurelianus* opinatur magis duritiem tactui apparentem, quàm tumoris elevationem in judicando scirrho esse attendendam.

RATIONE CAUSÆ, quæ est humor melancholicus, ex quo plerumq; scirrhus generatur; tamen interdum, accidit, ut pituita ei admisceatur, quæ est signum cachexiæ pituitosæ totius corporis. *Sennert: lib:3. part: 4. c.6.* Nonnunquam morbi materia ita corrumpitur, malignaq; fit, ut totum quoque impetat corpus, idq; vel ictero, vel malo habitu turpe reddat.

RATIONE ACTIONUM LÆSARUM sequentia capiuntur signa: *Anhelitus ferè semper. qualis in pueris plangentibus Rhases & Hollerius l. supra c.* hanc dant rationem, quia ex magnitu-

Macro att.

gnitudine splenis diaphragma comprimitur, nec extendi potest, spiratio impeditur; & eam ob causam difficilis & interpolita redditur, quod confirmant *Mercurialis & Valetius*: Difficiliùs & crebriùs spirat, dum æger se aliquo labore exercet, vel intentè laborat, id quod etiam contingit, dum in latus dextrum decumbit, magis quàm in sinistro quiescat, propterea, quia non ita suspenditur viscus, neque diaphragma ita à visceris magnitudine premitur; Decubitus verò in sinistrum latus gravis, & in dextrum molestior, ob μετεωρισμὸν & suspensionem. *Massar: & Hollerius. Fluctuatio, multa oris saliva, rugitus etiam in sinistro hypochondrio auditur & flatus supra infravé plurimus editur*, maximè eam ob causam, inquit *Massarias* accidere solet, quia lienosi cibos malè concoqvunt, etsi majori ex parte illos benè appetant, multi flatus generantur in corpore, qui rugitum & alia in sinistrâ parte excitare solent. Magna ferè concurrit & *animi*, & *corporis segnities* & *ignavia* ex cibis malè concoctis & generatis flatibus in corpore. *Lemnius* addit *per quietem turbulenta & aliena insomnia*. *Acidum quid evomitur*, dum intus epulæ concoqvuntur, tametsi vomitus in eo morbo semper sit difficilis.

Dubitantibus, an inter hæc signa annumerari possit ridendi intemperantia? *Respondet Mercurialis* duplicem esse lienis magnitudinem: aliam *naturalem*, aliam *morbosam*. *Naturalis*, inquit, *potest quidem*, consentientibus & docentibus alibi authoribus, *ad risum conferre; verùm magnitudo morbosa tantum abest, ut hoc faciat, ut etiam contrarium moliatur*, hoc est, *fletus & mærorem inducat. Pedum inflationem & quidem sub nocte Hollerius* statuit, cum hydrops est in propinquo, & lien est κατάῤῥοπος. Huic subjungit *Mercurialis impotentiam ad currendum & ambulandum*, ob magnitudinem lienis præter naturalem, quæ & currendi & ambulandi actionem lædit, unde Veteres secundum *Plinium* servis & cursoribus urebant lienes, existimantes, eos parvos hoc modo reddere, & ob parvitatem maximè conferre posse ad velocitatem cursûs: quâ de re fusiùs *Nobilissimus & Excellentissimus Dn. Præses in disput. de usu lienis*.

EX-

EXCRETORUM RATIONE. *Sanguis è naribus sæpè profunditur*, & est ille vel criticus, vel symptomatibus. *Hollerius l. c. Sudor gravis & fœtens, & per somnum penis erectio*, quia cùm multæ corruptiones fiant, cùm eorum corpora plena sint flatibus, jure merito fit, ut sudores fœtentes habeant, atque etiam membra genitalia ipsis erigantur. *Urina turbida* & *copiosa*, quia lien ob intumescentiam non potest continuò recipere humores crassos & melancholicos, qui quotidiè gignuntur, quo fit, ut cùm non recipiat humores, illi cum sanguine ad renes demissi unà cum serroso deinceps humore expurgentur, exinde fit urina turbida, crassa & copiosa. *Avenzoar lib: 3.* Nonnunquam *nigra* apparent, illæ ex melancholiæ commistione cum sero, de quibus *Highmorus in corp: hum: disquis: anatom: lib: 1. part. 3. c. 3.* quod & *Antonius Valetius in exerc: ad c: 40. Hollerii de intern: morb:* illustrat exemplo viri cujusdam, qui ter aut quater in anno lienis intumescentiâ laborabat, emissis tandē urinis nigricantibus per quinq; aut septem dies pristinam recuperavit sanitatem.

Pediculorum multitudo de quorum generatione in lienosis consentire non audet *Cœlius, quoniam*, inquit, *non video, quâ ratione hoc fiat, cum pediculi potiùs gignantur ex aliâ materiâ, quàm ex melancholicâ. Hollerius* eorum generationem ex pravorum succorum πλεονεξία fieri credit, unde purgationis necessariæ fit significatio.

RETENTORUM RATIONE, alvus sæpissimè esse adstricta solet, venter sinistrâ parte intenditur. *Lemnius.*

QVALITATUM MUTATARUM RATIONE. *Hippocr: 3. prorhet: cum Æginetâ* recenset *aures fœtidas, os malè olens, gingivas corruptas, & â dentibus discedentes, dentes exesos; & fœdatos*, ex translocatione materiæ, sive acerbi vaporis per continuitatem interioris tunicæ, quæ palato & stomacho communis est; *Hollerius lib: de morb: intern. Loca sub inferiori palpebrâ tumentia*, ob malum habitum, qui oritur ex materiâ morbi corruptâ & malignâ, totum corpus impetente & fœdante. *Lemnius. Color in facie est lividus & qs. plumbeus*, quia similis color efflorescit humori, cujus dominatu corpus tenetur,

netur,

Circa

netur, unde ſæpè icterus niger, elephantiaſis. *Totius ferè corporis color est vitiatus, & ad nigredinem vergit*, ex quo de ſententia *Hippocratis* dicit *Galenus 2. de nat: facult: cap: ultimo*, quibus corpus floreſcit, his lienem decreſcere, & contrà, quibus lien creſcit, iis corpus contabeſcere & vitioſis impleri humoribus. *Dolor ad jugulum ſiniſtrum tendit, & qs. ex pondere infra trahit*, ad claviculam, diaphragmatis ſympathiâ, quæ tunicæ coſtas ſuccingenti communicatur. *Hollerius cum Sennerto l. c. Sitis, oris ſiccitas*, ex corrupti humoris in alvum effluxu, etiam omnis humoris exhauſto. *Anguſtia circa lienem percipitur*, ſi ventriculus repleatur, potoq; inprimis aquoſo liquore. *Venæ ad lienem nigricant, dilatanturq;* ob humoris craſſi plenitudinem & obſtructionem. *Paræus lib: 6: de tum: c. 24.* Interdum *in cruribus tument venæ & evidentiores evadunt in parte laborante*, exaltantur à craſſo & nigriore quodammodo ſanguine, cujusmodi per alvum aliquando non paucis hepaticorum excernitur. Sed jam ſcirrhus impurus & cancroſus erit. Hæ enim notæ, quas hîc ad ſcirrhum accommodat *Guido* cancri propriè ſunt notæ, *vid. Galen: lib: 14. methodi. Ulcera in cruribus lata, quandoq; in manibus*, quæ ex mente *Pauli lib: 3. cap. 49.* nunquam cicatricem recipiunt, eaq; curatu difficilia, & quidem ob hanc cauſam, quia ſi curari debent ulcera, opus eſt, ut prius expurgentur, expurgari autem non poſſunt, niſi fluxus humorum intercipiatur ab ipſis; Cùm autem in melancholicis ſemper humores craſſi & melancholici ad partes inferiores præcipitentur, jure fit, ut in illis conſolidari nequeant. Alia graviora & manifeſtiora ſymptomata, quæ fiunt, quando lien magis corrumpitur, demonſtrant *Galenus* variis in locis, *Paulus lib: 3. c. 49. Cornel: Celſus lib: 4. c. 9. Aëtius lib: 10. c: 11.* & ſeqq. *Ægineta & alii.*

SIGNA PROGNOSTICA deſumenda iterum à GENERE, quod eſt *tumor*, qui ab initio quidem ſanationem ſuſcipit, confirmatus minimè, vel admodum difficulter. Id quod non tantùm *Galenus, Aretæus, Lemnius*; verùm etiam alii cum *Tagaultio l. c.* teſtantur; Tumores verò ſcirrhoſi, hic inquit, ab initio magnâ ex parte exigui apparere ſo-

 lent:

lent: procedente verò tempore paulatim augentur & majores fiunt: Ex iis quidam unum duntaxat membrum occupant.

Alii verò eo membro, quod prius infestabant, relicto, ad aliud postea transferuntur. Quod dum fit, nominatur tunc vitium FERINOS *Avicenna*. Præterea hujusmodi tumores melancholici, utplurimum si ritè tractentur, resolutione terminantur, nonnunquam indurati manent, & non rarò in cancrum, quod pessimum est, degenerant, ac transmutantur.

SUBJECTO. Lien tumidus varios patitur eventûs, nam per intervalla modò grandescit, modò minuitur, interdum assiduè magnus manet, neq; ullâ curatione extenuatur, & ita sæpè tentatam medicinam non profuisse periculum denotat. Hos, quibus enumerata accidunt, majore in periculo versari, & hydropi magis opportunos statuit *Lemnius*.

ÆTATE, Quemadmodum *pueri* & *juvenes* faciliùs lienis scirrho corripiuntur, ita etiam faciliùs evadunt: è contra autem *senes* difficulter corripiuntur, & difficulter curantur. *Aretæus*.

EXCRETIS. Urina, quæ diu tenuis & aquosa, non tuta judicatur; quæ verò, decrescente liene, amisso aquoso colore ad sanguineum vergere cœpit, aut crassa, fœculenta, eaq; copiosa vehit, salutiferum signum docet *Lemnius*.

PRÆSAGIA RATIONE LONGITUDINIS. Affectus hic quidem levis initiò apparet, adeò ut ne Medicum quidē rogent ægroti, inquit *Jacchinus*; sæpè multos annos perdurat, nec æger in solitis operationibus multùm læditur, quod notâ dignum; tandem verò vel ad febres longas ducit, quæ in tabem transeunt, vel ad hydropem lethalem; id quod in quæstore quodam Electorali Saxonico observavit *Nobilissimus atq; Excellentissimus Dn. Præses*. In inveterato, si hepar non trahitur in consensum, homo diutiùs superesse potest, quod suo firmissimo comprobat testimonio *Forestus*, se matronam novisse, quæ 30. annos dolore lienis laboravit, & tamen consuetas functiones sine dolore obivit. Σκίρρȣ τȣ̃ σπλ-

σπλην-

σπλην̀, ait *Aretaus lib: 1. curat: diuturn: c. 14.* λύσεις, ου̉ ῥηΐςαι, *scirrhi in liene geniti solutiones haud faciles.* Contumax hydropem & affectum hypochondriacum minatur. Nonnunquam cum quibusdam hic affectus consenescit, durus & magnus existens, & diuturna est affectio, non tamen lethalis. *Hippocr: libr. de affect.* Cùm sit confirmatus, tam lienis, quàm aliarum partium est incurabilis. Nondum verò inveteratus, curari quidem potest, sed difficulter, ut opinatur *Sennertus l. c.* verùm hoc est in ancipiti rerum statu. *Galen: 2. ad Glauc: 4.* hanc opponit sententiam: *Si sit durities antiquata & scirrhus legitimus, omninò incurabilis est.*

PROGNOSIS SALUTIS ET MORTIS. Tormina, si non longa, item dysenteria, in scirrho utilia sunt, sæpeq; malum ex toto finiunt, teste *Hippocrat: 6. aph: 48.* τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγενομένη ἀγαθόν. *Lienosis difficultas intestinorum superveniens bonum.* Huic suffragatur *Avicenna lib: 3 fen 15. tr: 1: c. 4.* Verùm ubi hæc inveteraverunt, nocent: & quidem si demum in lævitatem intestinorum sunt inversa, vel in hydropem, nulla potest succurrere medicina, quod idem *Hipp: eâdem sectione aph: 43.* testatur & ait: ὁκόσοι σπληνώδεες ὑπὸ δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λειεντερίη καὶ ἀπόλλυνται. *Qui lienosi difficultate intestinorum corripiuntur, iis supervenientem longam dysenteriam, aqua intercutem, aut intestinorum lævitas excipit & moriuntur.* Hujus explicationem Galenicam habet *Sennert: lib: 3. part: 4. cap: 6. Highmorus* verò *in corporis hum: disquis: anatom: lib: 1. part: 3. c: 3.* demonstrat modum & vias, in quibus humores resolvuntur, & per quas effluunt. *Sennert: l. c.* addit hæc: Quidam splenetici nihil à pharmacorum usu utilitatis percipiunt, neq; à reliquâ curatione, quanquam gracilior ipsis splen evadit: sed quæ adhibentur, à magnitudine morbi superantur; progressu verò temporis aliquibus in hydropem morbus degenerat & intereunt. Quibus splen suppuratur, & ustus est, iis spes sanationis affulget. *Sennert: lib: 3 part: 4. c: 6.* Melancholicus morbus incipiens, si hæmorrhoidales venæ suo fungantur officio plerumq; salutare.

Præmisſis cauſſis & ſignis jam ad CURATIONEM oculos noſtros dirigimus. In iſtâ autem occurrunt tres Indicationes, quarum prima CURATORIA tumorem tollendum præcipit, quo ſublato omnia ſymptomata ceſſant. Hæc verò ad expugnandum hunc morbum opus habet remediis emollientibus, & diſſipantibus, quibus tumor emolliri, reſolvi, per loca conſueta materia vitioſa evacuari, & ita, quantum poſſibile, pars affecta in priſtinum ſtatum deduci posſit. Deinde PRÆSERVATORIA materiam ſive cauſſam, quæ vel ex imbecillitate ventriculi, vel alio affecto viſcere craſſa & impura ad lienem defertur, & in eo continetur, unde ſcirrhus generatur, reſpicit, quam removemus alterantibus & purgantibus. Deniq; VITALIS ſollicita eſt, cùm de totius corporis, tùm de partis recipientis, cujus diſpoſitio depravata eſt, viribus redintegrandis & conſervandis.

Scopos igitur hoſce ut aſſequamur, materiam remediorum ex tribus hauriemus fontibus, CHIRURGICO, PHARMACEVTICO & DIÆTETICO.

I. Ex CHIRURGICO. VENESECTIO primùm ſe offert, quæ, ut in omnibus, ita & in hoc affectu, dubio procul erit remedium ſummè neceſſarium, licet nonnulli hoc abhorreant, quos miratur *Galenus lib: de curat: per ſang: miſſionem c. 6* & fatetur, ſe non potuiſſe intelligere, cur Medici lienoſis ſanguinem mittere neglexerint, cùm longiore experientiâ deprehenderit, illos perpetuò ex ſanguinis miſſione magnam percepiſſe utilitatem. TEMPUS venæſectionis in dubium vocantes quærunt, an venæſectio ab initio, an verò in confirmato ſit ſuadenda? Verùm nos *Mercurialem, Jacchinum, Avicennam lib: 3. fen 15. tr. 2 c. 7.* & *Maſſariam* ſeqvuti credimus ſectionem venæ maximè convenire poſſe inter initia, ubi craſſus & melancholicus ſanguis abundat: aliàs minimè, quia quod in ſcirrho eſt, de materiâ appropriatâ non educet quis, & vires debilitabit: nam jam influxus ceſſavit, cùm multos dies præceſſerit malum. Salvatellam in ſiniſtrâ manu agnoſcunt LOCUM *Arabes, Græci,* ut *Aëtius lib: 10. c: 11.*

Paulus

Filipendula

Paulus lib: 3. cap: 40. item lib: 6. c. 40. & 49. & veteres Medici quamplurimi, ob utilitatem revulſionis; ob latentem quandam ſympathiam & convenientem, quæ explicari nequit,& tandem ob experientiam practicantium,qui laborante liene ratione mittendi ſanguinis frequentiſſimè uſi cum magnâ ægrorum utilitate & facilitate.

Franciſcus Valeſius lib: 7. controvers: c. 3. non vulgarem ſibi adſcribit gloriam, dum inquit, ſe ſolùm inveſtigâſſe rationem, quâ probari poſſit, ſectionem ſalvatellæ in curando liene & jecore utiliorem eſſe apertione venæ baſilicæ. Ea autem eſt, quia extremæ corporis partes internarum partium ſunt emunctoria naturalia, cũ quibus habent rectitudinem, ſicut manus cum hypochondriis, dextra cum jecore, ſiniſtra cum liene &c. exinde concludit, cùm excrementa cujusq; membri ad ſuum emunctorium ferantur, proficuum eſſe laborante liene venam & quidem ſalvatellam in ſiniſtrâ manu ſecare. Verùm ſuâ laude non caret, quod *Galenus 2. ad Glauc: 2. 13. meth: 11.* & aliis in locis ſuo firmiſſimo comprobatum teſtimonio præcipit, nim: baſilicam lienoſis aperiendam eſſe, quia eſt amplior & vicinior, & hinc accommodatior ad ducendum ſanguinem; ſalvatellâ,& ſi ea non appareat mediam, & neq; hâc apparente, cephalicam.

Huic addunt ſuum calculũ *Zecchius & Hollerius l. c. Sanctorius de Medicinæ errorib.* nõ longè diſſentit his ſuffultus rationibus: ſalvatella non magis prodeſt ſpleni; quàm cephalica, multò minùs quàm baſilica, quia venæ irrigantes manus à medianâ ùtplurimùm exordiuntur,neq; ſalvatella dependet à ſplene, & hinc nihil utilitatis ſpleni afferri poteſt: deinde addit, ſi quis uſus ab hujus ſectione ſpleni accidit, is eſt, quia jecur ab illâ evacuatione ſublevetur, quo adjuto facilè omnia viſcera hauriunt emolumentum. *Aëtius c. 10. & 11. libri 10.* cum aliis venas nigriores, ſi eæ in regione lienis appareant, audet incidere.

CUCURBITULAS, quæ vicariam venæſectionis operam præſtant, in ventrem circa lienis regionem defigendas ſuadet *Trallianus lib: 8. c: 13.*

HÆMORRHOIDES non sunt prætereundæ, de quibus scribit *Galenus com: 5. in Hipp: 6. Epidem.* iis reseratis lienem durum sanatum fuisse. *Sanctorius in lib: de Medicin. erroribus* doctissimè monstrat curandi splenem perfectissimam esse methodum per hæmorrhoides, verùm præmissis purgantibus. Exempla notârunt *Paræus lib: 6. de tumor: c. 25. Zecchius in suis consult: cons: 11.*

SANGUISUGÆ succedunt cucurbitulis, quæ, si venis ad lienem nigricantibus applicantur, succum crassum & fæculentum exsugunt. Quas commendat *Galenus 4. aph: 25.*

CAUTERIA licet raro in usum trahantur, tamen tam actualia, quàm potentialia non omninò sunt seponenda, sed in hoc affectu ex suasu *Zecchii consult: 11.* à levi præcedente purgatione in dextro crure paulò subtus genu in parte internâ ad causam evertendam adhibita sunt proficua.

Sunt, qui commendant ustionem lienis, sed maximè suadent eam cum *Hippocr: in lib: de aff: intern: Paulus lib: 6. c. 48. Scribonius Largus, Alex: Rhases* & quamplurimi statuentes in hoc affectu lienem urendum esse, & nisi hoc juvet præsidium, nullum aliud prodesse posse. Variis verò urendi modis utuntur: *Hippocr:* fungis ardentibus, alii ferro, igne, lino crudo combusto. Plures videantur apud *Albucasin* & *Avicennam.* Nonnulli hypochondrio sinistro applicant setaceum. His affines sunt DROPACES, SINAPISMI & FONTICULI.

VESICATORIA, si prædicta nihil levaminis adferunt, hîc locum habere possunt; ea autem describuntur *à Fabricio Hildano* & aliis. *Riolanus in part: meth: med: sect: 3. de morbis lienis* præscribit globulos ex helleboro, ut attrahatur humor. e. g. ℞. *hellebori* ℈j, *excipiatur ceræ novæ* ℥j. fiant globuli pro cauterio, quod, si opus est, lieni imponatur.

Quanquam *Plinius, Fluddus & Fioravanta* lienem eximendum suadeant, tamen ob summum periculum *Celsus, Cœlius Aurelianus lib: 3. chronic: pass: Bartholin: in anat: reform: lib: 1. c. 16. & Riolanus in encheir: anat: lib: 2. c. 26.* quia facilius est dictu, quàm factu dissuadent.

II.

II. Ex PHARMACEVTICO medicamenta, quæ affectui huic adversantur partim sunt LENIENTIA & EVACUANIA, partim ALTERANTIA: LENIENTIA SIMPLICIA sunt *Cassia Alexandrina, Tamarindi, Manna Calabrina, Pruna Damascena.* COMPOSITA. Sir: *ros: vel viol: solutiv: cum decoct: hord: vel sero lact: caprin: aut vaccin: mannâ.* Pulpa *Tamarind: cass: rec: extr: diacassiæ cum mannâ.* Electuar: *lenitiv: Florenzolæ, Diacathol: s. antidotus Catholica Nicolai Præpositi*, electuar: *lenitivum de mannâ Nicolai Alexandri.* Infusiones *ex floribus acaciæ.* Pilulæ *rosatæ, Francofurtenses.* CHIMICI ♀*reata sua* laudibus extollunt, quorum præparationum modos allegat *Vir Nob: Dn. D. Joh: Theod: Schenckius, P. P. Academiæ Salanæ, Dn: Præceptor ac Patronus meus devenerandus in suâ Disput: de Luxatione ossium in genere.*

EXTERNA, si alvus non respondeat cibis, ut Clysteres, suppositoria, glandes, inunctiones circa umcilicum, vel in infimo ventre ex butyro recenti dulci, unguento de Altheâ & similibus.

His succedunt PRÆPARANTIA humores crassos & vitiosos, quibus ritè concoctis commodioris evacuationis spes affulget. Ea sunt Sir: *de Eupatorio, Thymo, calamentha, scolopendr: byzant: s. & compos: de fumariâ, cochleariâ. Oxymel simplex & compositum. Mixtura simplex, Cremor & crystalli ♀ri diagrydio ♎ato acuati.* Trochisci *de capparibus, eupatorio & scolopendriâ.* Palmam [aliis] præripiunt *Crystalli ♀ri ♉tiales* in vehiculis convenientibus propinati, utpote non solùm humores cùm in parte affectâ hærentes, tùm affluxuros digerentes, sed etiam vasa obstructa aperientes.

Concoctâ materiâ & præparato corpore jam cogitandum est de PURGANTIBUS, pro quibus sunt accommodata medicamenta SIMPLICIA: ut *pisa nigra*, quæ peculiari purgandi vi pollent, *folia senæ, helleborus niger, epithymum, polypodium, fumus terræ, lupulus, cassia fistularis. myrobalani Indi, lapis Lazuli, extractum hellebori nigri.* COMPOSITA: Extract. *panchymagogum,* Elect: *Diacatholicum, diasenæ*, sed omnium præstantissimum *hiera colocynthidos* ex descriptione *Paschii apud Scribonium*

nium Largum. Confectio *Hamech.* Pro robustis sunt pilulæ *de hermodactylis, fœtidæ,* quæ recipiunt *bdellium, opoponacum* & similes, quas laudat *Massarias lib: 3. c. 17.* CHIMICI cæteris præferunt ☿*um dulcem,* ☿*ium vitæ purgantem, pilulas* ☿*iales*, & alia ex ☿*io & antimon:* concinnata purgantia. Pro commodiori evacuatione uti potest tali potu: ℞. *Rad: filicis, polypod: ãã* ℥ß. *ceterach, chamædryos m. ß, fol: senæ elect:* ℥jß, *helleb: nigri præp:* ℥j. *rad: gialapp:* ℥j. *galang. cortic: citri, sem: fœniculi ãã.* ℈ij. Infundantur in sufficiente quant. aquæ simplicis. ℞. *Colat:* ℥x. *Syr: de scolopendr: quinq; radicibus ãã.* ℈jß. M. F. Potus pro 3. vel 4. dosibus. Vel tali pulvere. ℞. *Cremor:* ♀*ri cryst all: gr: v.* ♀*ri* ⊕*ati gr.* iiij. *diagrydii* 🜂*ati* ℈ß. *Ol: anisi gr:* ij. Si forsan forma pilularum ægroto arrideat, huc revocentur *Pilulæ* ♀*reæ. Quercet: in pharm: restitutâ c. 14.* Plura salia plantarum spleneticarum ritè parata non sine fructu purgantibus admiscentur. Palmam autem præferet terra ♀ri foliata benè exaltata. Plura composita ex supra dictis concinnari poterunt. Præstabit tamen per ἐπίκρασιν hoc negotium tractare, & interpositis digerentibus primò purgantia mitiora, & demum fortiora superaddere.

VOMITORIA ante purgantia non inutiliter exhibentur, si æger ad vomitum sit proclivis, & saburra vitiosorum humorum in primis viis hæreat. Talia sunt: ⊖ ⊕i *Angeli Salæ*, aq. benedicta *Rulandi*, oxysaccharum & specificum emeticum *Mynsichti*, aqua emetica *Hartmanni*, Vomitorium Helleborinum *Conradi*, & alia; de quibus consulenda *Nobil: Dn: Præsidis Disput: de Vomitoriorum usu & naturâ.*

DIURETICA, ut refert *Hollerius*, nonnulli in numerum remediorum huic affectui adversantium recipere recusant, quia à liene ad renes non facilis comparata est via. Quibus *Galen: in meth: med:* assentiri videtur, dum inquit: *nulla est communis via, nisi multiplici anfractu* in venam cavam regurgitans humor eò perveniat. Verùm *lib: 2. de arte cur: ad Glauc: c. 2.* cum renibus lienem per urinarios meatus evacuari asserit; quod etiam *Hippocr: lib: de intern: affect:* confirmat. Non quidem immediatè è liene ad renes datur via: si tamen diuretica diutius

tius propinentur, crassi humores attenuantur, è liene ad venas & demum àd arterias, & sic tandem ad vias urinarias abeunt. Eligenda sunt radices *dictamni Cretici, enulæ campanæ, ononidis, petroselini*; herba *saxifragiæ, virgæ aureæ, asparagi*; semina *dauci, genistæ, nasturtii, alkekengi.* CHIMICI *Mag: ♀, ocul: 69. spir: sambuci, juniperi, ligni sancti, cerasor: nigr: lac terebinthinatum, diureticum ex nucleis persicorũ Hartmanni*, & alia quamplurima, quæ ex Dispensatoriis & Practicorũ libris sunt petenda, præscribunt.

DIAPHORETICORUM usu in affectibus lienis nihil magis proficuum esse scribit *Hofmannus de usu lienis c. 16.* ex *Hippocrate* & *Vesalio.* Exinde ille nobis non erit prætereundus, sed summo in pretio habendus. Ea autem, quæ hoc loco conveniunt, sunt Decoctum *ligni sassafras cum spir: sambuci; lacryma cervi, C.C. crudum, ejus spirit: oleum & ⊖ volatile, mag. corallor. decoct. & mag: ligni buxi*, quod peculiari qs. qualitate schirrum lienis respicit & aufert, ad aliquot menses diligenter assumtum.

Doliarium ex schirro lienis maniacum factum, cùm frustra essent generosa quævis adhibita remedia, solo ex prædictis buxi foliis concinnato magisterio, citra hominum opinionem convaluisse, expertus fuit supra laudatus *Dn. D. Schenckius. P.P.* Theriaca *Andromachi, antimon: diaphor: flor: antimon: fixi Basilii Valentini, Bezoarticum ☉lare* locum quoq; habere poterunt.

SPECIFICA, quæ peculari proprietate juvant splenem, veteres commendârunt, ut splenẽ asini domestici & sylvestris, pulli equini, bubulum; Hepar lupi pulverisatum ad ʒj. cum liquore conveniente exhibitum; semper tamen hîc de liene hepateq; animalium observandum, ne morbosum aut corruptum sumatur. *Arabes* soleas pisces, Vespertilionis decolati corpus, detracto capite, in vase testaceo crematum & ejus pulveris ʒj. ex oxymelite imperat *Hollerius*. Succum portulacæ, corallia, gentianam *Rhasis*, spinam albam, ervum jejuno stomacho deglutitum *Marcellus* laudat. Succus allii sylvestris cum decocto aliquo splenetico, radix filicis; galyopsis seu lamii pulvis cum cibo datus commendatur. *Galenus ex Asclepiade & Archigene 9. de comp: med. secundum*

 locos

locus c. 2. cynoglossi manip. i. cum cyath: iij. vini tritum & expressum liquorem bibendum dedit ante cibum. *Aëtius ex Asclepiade d.l.* sequentia exhibuit porsello per triduum, quem postea dissectum sine liene invenit, ea tali modo parantur: ℞ *Tamarisci* ℥ij, *piper: albi, spicæ nardi, ammoniaci thymiamatis, scolopendr: ãã.* ℥j. Arida tundantur & cribrentur, ammoniacum cum aceto dissolvatur, reliquisq; addatur, & trochici formentur, quorum dosis ℥j. cum oxymelite, vel alio liquore.

Celsus lib: 4. c. 9. pro minuendo liene præbet jejuno absynthii decoctum; post cibum verò aquam, in quâ candens ferrum subinde est extinctum. Ita enim coërceri lienem inquit, quod animadversum sit in animalibus, quæ apud fabros ferrarios educata, exiguos lienes habent.

Chimica è Martis familiâ prodeuntia egregiam hîc præstant operam. Crudum quidem pulverisatum quidam præscribunt; sed præstat præparatus; de quo *Aëtius lib.10. cap. 2. Erastus epist: 6. p. 26. Augenius f. 171. tom. 1. epistol: Mercatus c. 6. & 18. lib: 2. de affect: mulierum,* quas inter suum extollit caput nobile illud remedium Tinctura ♂ parata ex croco ♂ saccharino dulci ad rubedinem calcinato *Viri incomparabilis Dn: Guerneri Rolfinckii, Philos: & Med: Doctoris famigeratissimi, Pract: & Chym: P. P. eminentissimi, Dn: Præceptoris & Patroni ætatem devenerandi.* Vinum & Confectio *Chalybeata.* Electuaria *chalybeata, quæ Vid: Vidius de curat: membratim lib: 10. c. 11.* describit, & à *Semmert: l: 3. p. 4. c. 6.* consignata extant. Dulcedo ♂*tis aperitiva,* & similia. Laudatur aqua depurata, quæ è cotibus defluit, cum acuuntur enses; & vasa è ligno fraxini, vel tamarisci, quo utatur æger, dum bibit.

Veteres peculiari quâdam ratione atq; beneficio juvare lienem crediderunt, quandò venam retrò aurem sinistram secabant, & detracto sanguine affectum lienem inungebant. *Alexand. Massarias & Hollerius.*

ALTERANTIA cùm INTERNA, tùm EXTERNA silentii sipario non sunt involvenda, sed vacuato priùs corpore, per aliquot septimanas continuanda.

Ea possunt esse potiones & mellicrata *ex cortice radicis capparis.* Potio *Capivaccii l.3. prax: c. 26.* in scirrho lienis valdè contuma-

tumaci efficacissima: Decoctum *ligni tamarisci Sennert: lib: 3 part: 4. c.6. ex cichorio, ceterach, betonica, fumo terræ, borragine* & similibus. Aqua & pilulæ splenetica *Dornkreilii in Dispens: part: 2. c. 9.* Trochisci *de capparibus & scolopend.* Sequentes ab *Hollerio* ad cœlum usq; evehuntur. ℞. *Pulv: tamarisci, rad: capp. ceterach ãã. ℥j. limatura chalybis ℥ß. spica, cinamom: ãã. ℈j sacchari borraginati ℥j. cum oxymelite. F. trochisci.* Arcanum *Benedicti Faventini*, quod *Sennert: l. c.* notavit. ♀*rus* ⊕*atus. C. C. philos: cum aqua fumariæ* præparatum.

EXTERNA sunt vel EMOLLIENTIA, vel DISCUTIENTIA & INCIDENTIA. EMOLLIENTIA SIMPLICIA sunt radix *althea, malvæ, bismalvæ, brancæ ursinæ, chamæmelum, fœnugræcum, semen lini, caricæ pingues, passulæ, ammoniacum aceto solutum.* COMPOSITA. LINIMENTUM *Mercurialis:* ℞. *Succi cyclam: mucilag. rad: filicis ãã. ℥iij. succi extremorum tamarisci ℥ij ol. myrtini ℔j, aceti ℥jß. Bulliant simul in duplici vase ad consumptionem aceti & succorum.* Deinde adde *œsypi humidi ℥ijß, ammoniaci, bdellij ãã ℥jß Ceræ citrinæ ℥iij. M.* Fiat linimentum. Conferenda sunt emplastra, *de meliloto, dialthea, cerotum œsypi, diachylon sine gummi cum mucaginibus rad: althea, lini, fœnugræci.* EMPLASTRUM *ex cicutâ & ammoniaco dissoluto*, quod habet *Heurn: method: ad prax: lib: 2. c. 10. &* CATAPLASMA, quod *Hieron: Fabricius ab Aquapendente* ad induratum lienem commendat, de quo vid. *Sennert. l. supra c.* Sed hæc cum sequentibus per vices adhibenda, ne partibus discussis & relictis crassis tumor durior evadat, nec plus, quàm par est, durities emollienda, periculum aliàs imminet, ne ipsa corrumpatur & scirrhus in cancrum degeneret, ut *Galenus, Avicenna* & *Paulus* monent.

Ubi emollita est durities paulatim accedendum ad INCIDENTIA & DISCUTIENTIA, quæ sunt *stercus caprinũ* & præ cæteris efficax emplastrũ *de ranis cum ☿io Vigonis*, quod resolvit & liquefacit omnes hujus generis tumores, quo etiam solo præmissis universalibus *Fabricius Hildanus* matronam quandam *Hildenæ*, præduro sinistræ mammæ tumore, ab inflammatione orto laborantem sanavit *observ: centur. 2. obs. 80.* Suum emplastrum efficaciter scirrhum lienis dissolvens maxmè commen-

 men-

mendat *Capivacius prax: lib: 3. cap. 26.* & *Petrus Forestus* suum Cerotum *obs: lib. 20. obs: 10.*

Hoc loco non sunt prætermittenda FOMENTA seu suffitus, qui conveniunt ex *ol. agni casti, rutæ, fœniculo, corticibus cap: tamarisci, melilot: bac: lauri*, quæ omnia aq. & aceto bulliant, & f. fomentatio. Vel *lapis molaris, pyrites aut lapis alioqui durissimus, qui acerrimo aceto, in quo ebulus, folia salicis & scolopendriam coxerunt, candens extinguitur, & vel vapor excipiatur, vel linteis involutus ad lienem adponatur*, sed hoc utendum in scirrho aliquo modo emollito, in diuturno & difficili alternis vicibus sunt reiteranda.

Factâ fomentatione inungatur regio lienis *ol: lil: albor: sambucin: amygd: amar: unguent: dialth: Agripp: de arthanitâ.* MEDULLÂ *cervinâ, vitulinâ.* SEVO *hircino, taurino, pardalino & leonino.* ADIPE *volucrum, anserino, gallinaceo & phasiano.* OLEO *ricini, sabinæ,* quo *Galenus Cercilii* puerum scirrho desperato laborantem curavit, & maximâ ex parte, quia illud oleum nequaquã est adstringens, sed planè tenuium partium, quæ facilè penetrare & operari possunt. EPITHEMATA discutientia & lienem corroborantia valentiora & mitiora pro ratione partis affectæ habentur ap. *Trallianum lib. 8. c. 17.* & Practicos quàm plurima. Desperati scirrhi curationem in quodam milite barbaricis ferramentis usto recenset *Idem Trallianus l. c.* fèreq; eandem *Hieron: Fabricius ab Aqua pendente*, qui quendam hydropicum scirrho lienis laborantem spongiâ aquâ calcis vivæ madidâ, usuq; ejus continuato, & hydrope & scirrho liberatum fuisse testatur.

Ex *Cardano 8. de rerum varietate c. 44. profert Massarias* mirabilem & temerariam lienis duri curationem. Hominem lienosum, inquit, nudatum collocant supinum, & ad regionem lienis accommodant folium chartæ, deinde omni conatu & totis viribus aliquoties securi acutissimâ supra chartam lienem percutiunt, quem h. m. chartâ & cute remanente integrâ ajunt rumpi, minui & sanari, tametsi non levem vulneneris & sanguinis effusi faciant suspicionem, quod remedium magis ridendum, fortè etiam detestandum videtur.

III. Ex

III. Ex DIÆTETICO, *qui consistit in sex rerum* non naturalium rectâ administratione, occurrit. I. AER, qui sit temperatus, purus, tenuis & siccus. CIBI *εὔχυμοι καὶ εὔπεπτοι*, attenuantes, incidentes & discutientes, ut sunt cappares, flores genistæ aceto conditi, pistacia, amygdalæ præsertim amaræ, item acria, ideoq; thymo condiantur, hyssopo, baccis juniperi & similibus. PANEM optimè fermentatum, aniso, fœniculo, asaro conditum, ut & triticeum, probè subactum, moderatum, igne in furno coctum & ritè salitum præscribit *Tagaultius*. EX ANIMALIBUS PENNATIS carnes avicularum, pullorum, caprorum, gallinarum earumq; jura præbeantur; perdicum, phasianorum, coturnicum: Ex QUADRUPEDIBUS Capreoli juvenes, vituli lactantes & anniculi verveces laboranti liene sunto in delitiis. Ex OLERIBUS id quod *Arabes* aspanar, nos verò spinacium dicimus, lactucas, lupulum, borraginem & buglossum, atq; id genus alia, quæ sanguinem expurgant, & puriorem reddunt, eligenda. Quamvis superiùs omne lactis genus ex foro medico fuerit proscriptum, excipimus tamen Camelinum, quod ab *Arabibus* ap. quos in frequenti est usu, commendatur, sicut etiam ab *Aristot. 6. de histor: animal: 25.* *Avicenna* commendat jejunium, imò *Theodos. Priscianus lib: 1. c. 15.* inchoandam hujus mali curam à jejunio & patientiâ præcepit.

POTUS sit vinum colore album, mediocris ætatis, odoratum & substantiâ tenue, si potentius, aquâ chalybeatâ dilui poterit. Nec bibat mustum, quia inflat lienem.

CEREVISIA defœcata, vel medicata paretur è ligno tamarisci, linguâ cervinâ, ceterach, absinthio. Eodem modo aqua medicata paratur, imprimis autem chalybeata, de quâ *Celsus* scribit, quod ob ejus usum canes fabrorum ferè liene caruisse viderit. Vasa ex hedera & tamarisco ad potandum confecta laudant Medici, de quibus *Columella* agricolas consuevisse parare bobus lienosis alveos ex tamarice asserit, ut hoc remedio avertatur ab his morbus lienis.

SOMNUS sit moderatus. MOTUS. Exercitationes moderatæ juvant, antequam alimenta sumuntur, item ambula-

ctiones ante cibum. *Plutarchus* profert Orchomenem Lacedæmonium lienoſum ita curſu ſeſe exercuiſſe, ut tandem inter pedites palmam obtinuerit. QUIES niſi ſit modica auget hunc affectum ut docet *Cornelius*.

ANIMI PATHEMATA, tranquillitas animi, ac lætitia magnoperè eſt expetenda.

ALVUS ſervetur liquida & excrementa reſpondeant cibis. VENERIS uſus ad Garamantes & Indos relegandus eſt. TANTUM.

Pæoniæ, GERBERE, artis cupidisſime cultor,
Vis genii ingeniique tui, doctrinaque multa
promeruêre diu, quod non indebita tantis
præmia, & auguſtos ſtudiis depoſcis honores.
Gratulor hunc animum Tibi, pulcrum gratulor auſum.
ARS PHOEBÆA TUUM NOMEN SUPER ASTRA REPONAT.

GERBERO
Medicinæ Candidato dignisſimo eximium propoſitum gratulatur, multosq; proſperos ſucceſſus in artis via adprecatur

GUERNERUS ROLFINCK D. P.

Aonidum, GERBERE, *decus prænobile, ſplenis*
infeſtum pondus, ſcirrhum de ponte cathedræ
ritè doces, meritoq́ petis ſuprema brabéa;
quæ dabit ex votô Phœbus. *Fortunet* Olympus,
Hoſce tuos conatus, & ſint fauſta brabéa.

Fauſtæ gratulat: ergò fundebat

PRÆSES.

Dum ſplenem minuis, nothum jecur quem
ab uſu veteres vocâſſe ſcripto
confirmant monumenta ſat Galeni,
& ſcirrhi genus omne quàm-peritâ
manu corrigis, eminus vigorem
cordi reſtituis, novo & colore
vultum nobilitas, velut ſenectæ
ſigillum melioris & decorum

Hormm. ſed virtis

viris virginibusque pignus. Ecce
labores Medicus recenset Ordo
tuos, promeritamque nectit unà
corollam capiti Tuo. Trophæum
canit carceribus suis solutus
lien, qui repetit perenniter, quos
scirrhus abstulerat modò reversos
usque, cum comitatu, quaque risus.

ὁλοψύχως applaudebam
honoribus Tuis meritissimis
JOHAN-THEODORUS SCHENCK,
Med: Doctor & P. P.

INgenium, Virtus, Vestitus, Forma Genusque
Nomina terrigenis Naso merentur ait.
Vivimus ingenio, vivit post funera Virtus,
Quæ jactat mundus cætera, mortis erit.
Magna tamen solida, gestamina rubra galeri
Virtutis, Formæ, Generis testamina fiunt.
Talibus, alter ego, Nomen præclare mereris,
Quod renuit Tibi, sors invida, ferre diu.
Tandem spreta Tibi jacet vivida sortis imago,
Gloria, dum Phœbi magna futurus eras.
Restitit huic furiæ, tituli decoretur honore
Digno iratus ait: dignis ornare brabéis
Et celsam, lætus Doctorum scande, Cathedram
Dignum Doctoris, nomen ab arte gerens!
Quâ nunc arte Tuas laudes celebrabo recentes,
Cùm non ad Citharam segnis Apollo detur.
Has Tibi Principium longè majoris honoris
Auguror, augurium hoc reddat, Jova ratum.

Hisce levibus Clarissimo Dn: Doctorando, Amico suo
honoratissimo de futuri Doctoratûs arrhâ
cordicitus ominabatur
M. CHRISTOPHORUS Germin/L. B.

MAgnanimos ausus, successus prosperiores
Gratulor ex animo, frater amice, Tibi,

Dux

Dux mihi virtutis nempe es, veriq; laboris,
Cogor, ni velim degener esse, sequi.

Hæc paucula suo Fratri charss. Ienæ pro Licentiâ disputanti monente nostrâ Leucoreâ acclamare voluit

JOSEPHUS GERBERUS, Zitt: J.U. Cultor.

Anagramma
omisso Z. & addito T.

FRIDERICUS GERBERUS, ZITTANUS LUSATTIA.

Laus generat Tibi decus & rursus irâ fit.

QVid pietate venit? Virtus. Virtute quid inde?
Laus. Quid laude? Decus. quod claudit limen honoris.
Sedulus Aoniis cum sis versatus in agris
Jure Tibi laudem tribuunt, Clarissime, *Musæ*,
Et Tibi laus rursus generat decus. ira *timendum*
Fit *minimè magnis, sed mollia corda gerenti.*
Quare Tibi felix munus cui contigit illud!
Omne nefas qui scis pariter deflectere. Pergas
Jngentem laurum cinget Tibi doctus Apollo.

Clarissimo Dn: Doctorando,
Amico suo ingenti congratulatur

GODOFREDUS FÖRSTERUS, Zitt: Lus.

HIppocrates postquam ingressus vestigia patris,
Non, GERBERE, cluas filius Hippocratis?
Nunquam est trita Tibi studiorum semita frustra.
Solvuntur merito magna brabéa Tibi.
Pergis feliciter, dum sic ascendis ad astra:
Tandem Galenus, vel Cous alter eris.

Clarissimo Dn: Doctorando, Amico suo longè omnium suavissimo animitus gratulatur

HEINRICUS ANTON. Heintze Halberstad.

FRIDERICUS GERBERUS LUSATUS.
κατ' ἀνάγραμμα.
Tu es clarus rebus: frugi redis.

T*u satis* es clarus, *redeas*, rebus *benè gestis*,
Et frugi, *resonat Patria Zitta*, redis.

Gratulabundus ponebat

ZACHARIAS Ennichman/ Tremoniâ-Guestphalus.

FINIS.